

et rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. *SENEC.*, l. I, *Controv.*

Quid aliud est nobilitas, inquit Ludovicus Vivès, quam nascendi sors et opinio a populi stultitia indicta? aut quæ sæpenumero latrocinis quaeritur. *LUD. VIVIS*, in *introd. ad Sapient.*, c. III.

UTILITAS. — Omnes boni, inquit Cicero, nobilitati favemus, quia Reipubl. utile est, nobiles esse homines, dignos majoribus suis. *CICERO*, *pro Sestio*.

Pontifex in Veteri Testamento, ut majori cum auctoritate docere legem et Principes posset, non aliam, quam nobilem virginem docere audebat, uti *Lev. 21* dicitur.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius, in *Tob.*, p. I, c. 1.

Mathias Faber, them. IV, in *Auctar.* et *conc.* IX, in *Festo Nat.*, n. 3.

Laurentius Beyrlinck, in *Theatro vite humanæ*. V eod et text. 1, in *Festo Nativ. B. Virg.*

Ludovicus Granalensis, in *Locis communibus*, fol. 196.

Josephus Langius, in *Polyant.* V eod.

L. Annaeus Seneca, lib III, *de Benef.*, lib. I *Controvers.*

OBEDIENTIA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua exequimur jussa, et præcepta majorum, quia præcepta sunt. S. Thomas eam sic definit: Est virtus, quæ promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem præcipientis. *JAC. ALV.*, *de Adopt. virt.*, l. III. Vel ut S. Bonaventura ait: Est spontaneum et rationale voluntatis propria sacrificium. In *Centil.*, p. III, sect. 44.

DIVISIO. — Dividitur communiter obedientia in divinam, et humanam, spectando personam, cui immediate præstat. Divina est per quam præcepta ab ipsomet Deo posita

implentur. *Humana* est, per quam hominis mandata executioni mandantur. Aliam quoque divisionem indicavit S. Ignatius sic loquens: Quemadmodum in hominum vita, duæ sunt hominibus propositæ ad beatitudinem viæ, altera pervulgata et communis, quæ divinis præceptis servandis continetur, altera illorum tantum, qui Christi consilia toto corda complectuntur; sic in ipsa Religione duo esse obedientiæ genera, quorum alterum est imperfectum, alterum perfectum et omnibus absolutum numeris, in quo vis obedientiæ elucet, hominisque religiosi virtus obedientiam male oculatam esse, perfectam sapienter cœcam; illam judicium sibi de imperatis rebus servare, hanc judicium proprium non habere: illam in alteram propendere partem hanc in neutram potius moveri: illam mandatis parere judicio repugnante, neque ad eam obedientiæ nomen mereri: hanc judicium judicio, voluntatem suorum superiorum subjicere voluntati, rectum credendo, quodcumque sit a superioribus præscriptum, neque rationes præscripti requireat ut sequi sed imperata avide arripere nulla alia de causa, nisi quia obedientia est. *LUD. DE PONT.*, t. I *de Perf.* tr. VI, c. XI, l. V, *Vita*, c. IV.

ACTUS. — Magnam de suis superioribus astimationem concipere: quod obtinebitur, si iidem non ut homines fragilitatibus et imperfectionibus humanis obnoxii, sed ut Dei et Christi Vicarii considerentur, quemadmodum S. Paulus suos Ephesios monuit, et S. Bernardus clare sequentibus verbis confirmavit: Obedientia, quæ exhibetur Majoribus, Deo exhibetur, ipse enim dixit: « Qui vos audit, me audit. » Unde quiddam vice Dei præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quam si præciperet Deus; quid enim interest utrum ipse per se, aut per suos Ministros, sive homines, sive Angelos hominibus patefaciat suum beneplacitum? *S. BERN.*, l. I, *de Disc. et præc.*

De iisdem reverenter loqui, neque eorum defectus aliis manifestare: (hoc enim foret cum Cam nodationem Patris sui fratribus nuntiare) sed potius ea silentio suppressere, exemplo Sem et Japhet, qui pallium imposuerunt humeris suis, et incidentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, ideoque benedictionem et amorem singularem patris meruerunt. *GEN.*, IX, 22.

Etiam exterioribus signis honorem et re-

verentiam illis exhibere: exemplo S. Francisci Borgia, qui non tantum, dum actu fungebantur superioris officio, sed etiam, postquam eam personam deposuerant, peculiari reverentia eos prosequatur. *LANCIZ.*, *Opusc.* 2, c. VIII.

Eorum dispositiones, quæ manifestum peccatum non continent, tam circa se, quam circa alios approbare, iisque placide acquiescere, atque eum in finem illud S. Davidis in similibus casibus usurpare: Obmutui, et non aperui os meum: quoniam tu fecisti. *Ps.*, XXXVII, 40.

Eorum voluntatem sive verbis manifestatam, sive undecumque tandem cognitam, non aliter ac mandatum Dei, cum omni diligentia atque perfectione juxta gradus mox referendos implere: quemadmodum S. Paulus suasit, dicens: Quodcumque fecitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem. *COL.*, III, 25.

GRADUS. — Quemadmodum, teste Ludovico de Ponte, quatuor sunt radices, ex quibus diversitas et perfectio obedientiæ oritur, ita varii quoque in quavis gradus assignari possunt. Prima radix sunt, ipsæ personæ, quibus obedientia præstat, in qua sequentes gradus assignari queunt. 1. Ut ipsi Deo velut supremo Domino et universali gubernatori obediatur. 2. Ut aliis sive Angelis, sive hominibus propter Deum obedientia præstetur. 3. Ut dominis et superioribus, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyseolis subditi simus, quemadmodum S. Petrus monet. *I PET.*, II, 18. 4. Ut etiam invicem superiores nos arbitremur, et subditi simus in timore Christi, ut S. Paulus hortatur. *PHIL.*, II, 3, *ERR.*, v, 21. 5. Ut subditi simus omni humanæ creaturæ propter Deum, juxta S. Petri consilium, atque adeo etiam ab inferioribus voluntatem Dei cognoscere non horreamus juxta exemplum Heli per Samuelem consilia Dei intelligentis, *I REG.*, III, 38, et Sancti Augustini, qui de se ipso fassus est, paratum se esse, alterius etiam inferioris judicium in omnibus sequi. *T. III, de Perf.*, tr. VI, c. XIII.

Secunda radix sunt res ipsæ in quibus obediendum est; circa quas sequentes gradus assignantur. 1. Ut mandata legis naturalis et Evangelicæ accurate observemus. 2. Ut etiam consilia, a Deo sive per occultas inspirationes, sive per creaturas manifestata, prompte exequamur. 3. Ut Regulas ab Or-

dine vel Superioribus præscriptas studiose servemus. 4. Ut in rebus maxime arduis, et quæ vires nostras quodammodo excedere videntur, prompte pareamus, uti Abraham filium immolare jussus, et multi alii Sancti fecerunt. *LUDOV. DE PONTE*, l. c. c. XIV.

Tertia radix sunt ipsi subditi, qui obedientiam præstare debent, pro quibus tres gradus idem Ludovicus de Ponte assignat. 1. Potentiarum extarnarum in ipso operum præcepto exequendo necessaria mortificatio. 2. Voluntatis propriæ abnegatio, et cum Superioris voluntate conformatio. 3. Proprii judicii subiectio. Quos quidem tres gradus fuse et sapienter explicat S. Ignatius in aurea epistola, quam ad socios suos in Lusitaniam scripsit, quam tanti fecit zelosus quidam ex Ordine S. Augustini Religiosus, ut dicere non sit veritus, se nescivisse, quid sit vera obedientia, donec id ex hac epistola sapienter studiose perlecta didicit. *Id.*, c. XV.

Quarta radix est ipsa modus obediendi, seu circumstantiæ, quæ in obedientia præstanda sunt observandæ, quæque ad sequentes potissimum revocantur. 1. Ut obediat *libenter et hilariter*, non ex tristitia aut necessitate; nam serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis, teste S. Bernardo: difficile quippe est, ut vultum non mutent, qui voluntatem mutant. *S. BERN.*, s. *de Virt. obed.* 2. Ut quis *simpliciter* obediat, ut S. Hieronymus suasit his verbis: Credas tibi salutare, quiddam monasterii Præposito præceperit, nec de Majorum sententia iudices cuius officii est, obedire et implere, quæ jussa sunt, dicente Moysæ: Audi Israel et tace. *EP. IV, ad Rustic.* Sic certe, teste Cassiano, Ægyptii monachi universa complere, quæcumque fuerant a Præposito suo præcepta, tamquam si a Deo collitis edita forent sine ulla discussione festinabant. *CASSIAN.*, coll. x, l. IV, *instit.* 3. Ut *velociter* obediat; fidelis quippe obediens, teste S. Bernardo, nescit moras, fugit crastinitatem, ignorat tarditatem, præcipit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. *S. BERN.*, s. *de Virt. obed.* 4. Ut *humiliter* obediat; Christi exemplo, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. *PHIL.*, II, 8. Ut *perseveranter* obediat usque ad mortem, quanto magis aliæ difficultates minores fortiter superandæ erunt?

EX SS. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Et facies, quodcumque dixerint, qui præsent loco, quem elegerit Dominus, et docerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum. DEUT., XVII, 10.

Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisei, omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere. MATH., XXV, 2.

Subjetti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcipienti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. I PETR., II, 13.

Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo. II COR., XI, 3.

Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. PS. XXXVIII, 10.

Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem. COLL., I, 10.

Servi, obedite dominis vestris carnalibus cum timore et tremore, et in simplicitate cordis vestri sicut Christo. EPH., VI, 5.

NECESSITAS. — En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, et maledictionem. Benedictionem, si obedieritis mandatis Dei vestri, maledictionem, si non audieritis. DEUT., XI, 26.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. ROM., XII, 1.

Vis non timere potestatem? bonum fac et habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum: si autem male feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est; vindex in iram ei qui male agit. IBD.

Nunquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius, ut obediatur nomini Domini? I REG., XV, 22.

Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto Judicis, morietur homo ille. DEUT., XVII, 22.

ÆQUITAS. — Obedite Præpositis vestris, et subjacet eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddaturi, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes, hoc enim non expedit vobis. HEBR., XIII, 17.

Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis, ut non biberent vinum: et non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto Patris sui: ego autem locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens et non obedistis mihi. JER., XXXV, 14.

Et ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, et dico huic, vade, et vadit: et alii, veni, et venit: et servo meo, fac hoc, et facit. MAT., VIII, 9.

UTILITAS. — Qui me audierit, absque terrore erit, et abundantia perfruatur, timore malorum sublato. PR., I, 33.

Custodi legem meam, atque consilium meum, et erit vita animæ tuæ. PR., III, 22.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. IS., I, 19.

Vir obediens loquetur victorias. PR., XXI, 23.

Omnis, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram. MAT., VII, 24.

DIGNITAS. — Melior est obedientia, quam victimæ, et auscultare magis, quam offerre adipem arietum. I REG., XV, 23.

Humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. PHIL., II, 8.

JUCUNDITAS. — Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis, et filiis eorum in æternum? DEUT., V, 29.

Audite audientes me, et comedite bonum; et delectabitur in crassitudine anima vestra. IS., LV, 2.

Utinam attendissem mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Verus obediens non attendit, quale præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. S. BERN., de Præc. et disp.

Imponitur nomen obedientiæ præcepto, facto, et loco, ut designet, quod præcipitur: monstret, quod agitur: nomet locum, in quo quis moratur. Prima facilis, secunda gravis, tertia ad utramque se habet. Leve enim est præcipere, sed grave est adimplere. Locus vero aliquando placet, aliquando displicet: placet quibusdam, non quia abundat fratribus, sed quia abundat piscibus; placet, quia solus cuncta possidet; et sic fit, ut doceatur obedientia, cum non sit. Hanc obedientiam multi desiderant, ut extra obedientiam esse queant. HUGO, de XII Abus.

Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; nescit judicare, quisquis perfecte didicerit obedire. S. GREG., I, II, in I Reg., c. II.

Bonus obediens verbum non expectat, ubi de voluntate Superioris constitit. Illud ego optimum obedientiæ gradum dixerim, cum eo animo opus recipitur, quo injungitur adeoque ex voluntate jubentis, intentio pendet exequentis. S. BONAV., c. IV, Spec.

Quisquis vel aperte, vel occulte satagit, ut, quod habet in voluntate, hoc ei Pater spiritualis injungat, ipse se seducit, si forte sibi obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipse Prælo, sed magis ei Prælatus obedit. S. BERN., s. de Tribus ord. Eccl.

Perfecta obedientia est maxime in obediēte indiscreta, hoc est, non discernere, quid vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum nititur, ut fideliter et humiliter fiat, quod a majore præcipitur. S. BERN., de Vit. sol. ad FF. de Monte Dei.

Novi prudentem, incipientem sapientem in cella diu posse consistere, in congregatione durare (moraliter loquendo) impossibile esse. Stultus ergo fiat, ut sit sapiens. Et hæc omnis sit ejus discretio; et hæc omnis ejus sapientia sit, ut in hac parte nulla ei sit. Discernere Superioris est, subditorum est obedire. IBD.

Saulam David ferre metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obrecreationis abstinentes, Præpositorum vitam

nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehenduntur; qui etsi quando pro infirmate abstinere vix possunt, ut extrema quedam atque exteriora mala Præpositorum, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram clamidis silenter incidunt; quia videlicet, dum prælatæ dignitati saltem innoxie et latenter derogant, quasi Regis superpositi vestem fœdant. Sed tamen ad semelipsum redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. NICOLAUS, I, Epist. ad Mich. imp.

Prælati cum magna reverentia tractandi sunt, nec eorum sunt mores, aut vita taxanda, quia cum Dei locum teneant, ejusque personam referant, ipse sibi injuriam irrogatam deputat, quam in Prælatos factam considerat. Diis non detrahes, inquit, et Principi populi tui non maledices. Deos vocat Prælatos, ac principes populi, ut in illis Deum consideremus, et injuriam illorum, Dei esse injuriam sciamus. IBD.

Notandum vero est, quod hoc loco (Jobi c. XLII, v. 11, ubi dicitur, venerunt ad eum amici ejus, et obtulerunt ei singuli ovem unam, et in auream auream unam) cum in aure ovis, cum ove inauris offertur; quia nimirum innocis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, Domino testante, qui ait: Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me. Beato igitur Job nemo in aurem sine ove, nemo ovem sine in aure obtulit, quia profecto Redemptori suo non obedit, qui innocens non est, et innocens non est, qui obedire contemnit. Quia vero ipsa obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est; non terrore pœnæ, sed amore justitiæ, cuncti, qui ad convivium veniunt, auream in aurem obtulisse perhibentur, ut videlicet in ea que exhibetur, obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes quasi auri amore cætera metalla transcendat. S. GREG., XXXI. Mor., c. av.

Prima voti gratia est celeritas solutionis. Hinc Abraham filium suum jussus offerre ad holocaustum, non post dies, ut Cain obtulit, sed exurgens mane stravit asinam. S. AMB., I, II, de Cain., c. VIII.

Magni prorsus obedientia virtus apud Deum meriti est, dommodo sub ipsa sponte, ac viriliter militetur. Nemo ab illa secluditur, nullusque eorum, qui animæ suæ salutationis desiderant, ab ejus servitute efficitur

alienus. Omnes recipit, omnes fovet, omnibus se diligentibus materno congratulatur affectu, personam non respicit, æternam non spernit, conditionem non secerat. S. LAUR. JUST., de *Grad. perf.*, c. 11.

Ut obedientia Religiosi Deo sit acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione: devota sine designatione: voluntaria sine contradictione: ordinata sine deviatione: jucunda sine turbatione: strenua sine pusillanimitate: et universalis sine exceptione. S. BON., t. VII, *Collat.*

Hilaritas in vultu, dulcedo in sermone, multum decorant obedientiam subsequenti. S. BERN., s. XLVIII, c. IX.

Perfectus in obedientia ille censendus est, qui in nullo prorsus resistit majoribus, aut invidet paribus, vel contra minores per superbiam se extollit: sed Prælati est obediens, sociis congruens, subditis utiliter descendens, Deo devotus, Magistro subditus, Senioribus obtemperans, et minoribus placens; verbo utilis, corde humilis, et omnibus mansuetus, atque eo animo opus injunctum recipit, quo præcipitur. S. LAUR. JUSTIN., de *Ligno vit.*, c. v.

Verus obediens nescit moram, mandatum non procrastinat, sed statim parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, et totum se interius colligit, ut imperantis faciat voluntatem. S. BERN., s. de *Virt. obed.*

Obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est: non timore peccati sed amore justitiæ. GREG., XII, *Moral.*

Inobedientia non tam pensanda est, quam intentio inobedientis. BERN., de *Præcep. et disp.*

NECESSITAS. — Magistratum, ducemque et rectorem non habere, malum est, et est argumentum multarum calamitatum, et principium defectus ordinis, et perturbationis, ac confusionis. Nam sicut si chori coryphæum et ducem sustuleris, non erit amplius chorus modo congruus et ordinatus; et si a phalange exercitus amoveris Imperatorem, non erit amplius ordinata acies; et si navigio ademeris gubernatorem, navem demerges; ita etiam si a grege pastorem abstuleris, omnia avertisti. S. CHRYS., h. XXXIV, *ad Heb.*

Manifestum est, neminem posse sine obedientia spiritualiter vivere, nam summa spiritualis vite non est alia quam divinæ executio voluntatis, et idem prorsus est spi-

ritualiter conversari, et divinam voluntatem sequi. JAC. ALV., c. 11.

Melius est obedire Deo, quam hominibus, et magistris melius, quam discipulis: porro magistris melius nostris, quam externis. Quibus autem melius constat obedire, ipsis proculdubio non obedire est detestabilis. S. BERN., de *Præc. et disp.*

Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit et perducit ad mortem, quam cum eum, neglectis consiliis seniorum, suo judicio persuaserit definitioni-que considerare. CASSIAN., in *coll. Ab. Moysi.*

Qui se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. S. BERN., *Ep. LVII.*

Qui sibi dux esse vult, sprolo duce proprio, non jam indiget dæmone tentante, quia factus est sibi ipse dæmon. GERSON.

Te Prælato dedisti propter Dominum et regnum colorum; et jam non es tuus, sed ejus, cui te vendidisti, et ideo nihil tibi licet agere de te sine ejus voluntate: ipse enim est Dominus voluntatis tuæ, et contrafectio rei aliæ invito Domino, furtum est, fur autem celo non appropriat.

ÆQUITAS. — Pro omnibus mihi rationibus sufficit, quod ille Dominus est, et ego servus; ille sapiens corde, et fortis robore, ego rudis et imbecillis ignoro egressum et introitum meum. Illi contradicere impium est: quis enim resistit ei, et pacem habuit? ego autem idcirco ordinem ingressus sum, ut subsim, et in me Domini voluntas impleatur. S. AUG., *sup. Gen.*, III.

Ridiculum plane est, cum, ut vilium et mechanicarum artium magistris nanciscamur, huc atque illic oberremus, divinam tamen philosophiam tamquam vile aliquid, ac despiciendum nobis ipsis committamus. S. ISID., l. I, *Ep.*, ccc.

Deponere aurum, incipientium est, non perfectorum; fecit hoc Crates Thebanus; fecit Antisthenes: se ipsum offerre Deo proprium Christianorum est atque Apostolorum. S. HIER., ep. *ad Lic. Hisp.*

Quid dicent monachi inobedientes, et suas voluntates facientes, ac per hoc Deo non placentes cum tota monachorum Religio obedientia sit, cum viderint non solum rationales creaturas, sicut Angelos et homines, sed etiam quæ sensu et ratione carent, jubentis Domini obedire voluntati? inde enim est, quod coeli enarrant gloriam Dei: inde est, quod mare et venti obediunt ei: inde est, quod terra nostra dedit fruc-

tum suum: inde est, quod omne lignum dat fructum in tempore suo. Denique, quod virga in serpentem, et aqua mutatur in sanguinem, quod mare aperitur, quod petra fundit aquas, quod manna pluuit, quod asina loquitur, quod Jordanis convertitur retrorsum, quod jubente homine, sol non movetur. Totum hoc obedientia facit. S. BRUNO, I tr., de *Ortu Eccl.*, c. x.

Prima vox Dei, quæ post creationem hominis in auribus ejus insonuit, præceptum fuit, cujus impletionem ad obedientiam perficere certum est; factus enim homine, et in paradiso voluptatis collocato, præcepit ei Dominus, de omni ligao, etc. JAC. ALV., l. 2, l. V, p. III, c. 1.

Voluit Deus rationalem creaturam voluntarii boni munere, et liberi arbitrii potestate dotare, ut boni et mali capax utrumque naturaliter posset; licet quippe illi eligere et respicere, probare et reprobare. Nec est, quo magis rationalis creatura cæteris præferatur, nisi quod cum alia omnia conditionis et necessitatis tantum habeant bonum, hæc sola etiam voluntatis; ideo dignum est, ut minus a Deo collatum ipsius largitoris famuletur obsequio. S. LAUR. JUSTIN.

Liquefiat omnis superbia, defluat omnis contumacia, humiliet se omnis inobedientia, cum audit, quod Jesus erat subditus illis; quis nam est subditus illis? qui solo verbo creavit omnia ex nihilo; qui, ut dicit Isaïas, Mensus est pugilio aquas, et celos palma ponderavit, qui appendit tribus digitis terram! Iste talis ac tantus erat subditus illis; quibus illis? fabro, et pauperculæ virginii. O primus! O novissimus! O Angelorum Prælati, et hominibus subditus! Cæli creator subditur fabro: Deus æternæ gloriæ subditur virgini pauperculæ. Quis audit unquam tale? et quis vidit huic simile? non ergo dignetur obedire et subditus philosophus piscatori, sapiens simplici, literatus idiota, filius Principis ignobili. S. ANT. DE PADUA, in *Dom. Ep.*

UTILITAS. — Obedientia concordiam servat in Angelis, unitatem tribuit Ecclesiis, pacem constituit in cœnobiis, tranquillitatem facit in Regnis, in rebus publicis et familiaribus; et quicumque excessus, quæcumque exorbitatio a lege in istis conspicitur, ex obedientiæ defectu progreditur. Hanc brutis vis naturæ inseruit, inanimatis præbuit. Hæc terrenis celestia, et humanis divina religavit, sine qua nihil omnino

pacatum, ordinatumque consistit. JAC. ALV., l. c.

A diluvio servatus Noe, constitutus pater multarum gentium Abraham, ditatus Jacob, Josph Ægypto Præfectus, electus dux populi Moyses: David unctus in Regem, eruditi Propheta, clarificatus Christus, honorati Apostoli, Martyres coronati, universique glorificati fideles, eo excellentius quo perfectius ipsam peragunt. S. LAUR. JUSTIN., de *Contemp. mundi*, c. IX.

Elias deserti vasta penetrans, et apud se libere commorans, ab Angelo admonitus surrexit, et comedit, et dum implet verbum Angeli, ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei: ducit enim vera obedientia per brevem laborem ad perfectionis culmen, et ad montem quietis æternæ. TH. KEM., *Conc.* 19, c. v.

Utilissimum est, viam, regiam qua itur ad urbem, scire; at utilis et amabilis esse solet, viam compendiarium agnoscere, si per eam brevis et tutius ad civitatem acceditur, et viator a multis laboribus et periculis liberatur. Hoc igitur vitæ spiritualis perfectionis compendium est, obedientia, qua una relenta miro modo universas virtutes possidemus, et cunctas vitæ vias brevi conficimus, et ad vitam æternam, ad finem mirum omnibus desiderii nostri, et omnis perfectionis festinamus. JAC. ALV., l. c.

Obedientia maxima est virtus, et, ut sic dixerim, omnium origo, materque virtutum. S. AUG.

Obedientia est fidei opus, probatio veræ spei, argumentum charitatis, mater humilitatis, et genitrix pacis Dei, quæ exsuperat omnem sensum. PROV. XIV.

Obedientia sanctorum omnibus cibis est: ex hac enim ablacati sunt, et per hanc ad perfectionem venerunt. S. FRANC. ASSIS., ora. 27 *Vit. PP.*

Hæc virtus hominem ditat, lætificat Ecclesiam, pacem tribuit, mentem ornat, animam castificat, cœlum aperit, vitam felicem homini tribuit, omnes virtutes custodit. S. LAUR. JUST., de *Ligno, vit.*, c. III.

Obedientia unicuique bonum est ad recuperationem vitæ, sicut inobedientiæ culpa malum sufficiens fuit ad perpetrandam mortem. Si ergo malo inobedientiæ mors prævaluit, toties vitæ reddimus, quoties obedientiam. S. GREG., I, II, in *Reg.*, c. XIV.

Movere nos debent multa, et magna bona, quæ perdimus, et quibus per inobe-

dientiam privamur, quæ sunt duodecim, sicut sunt fructus duodecim ligni vite, quibus licitum fuisset homini vesci, si se his per inobedientiam non privasset. Obedientia quippe est lignum vite, cujus fructus ducit ad vitam perpetuam: inobedientia vero lignum mortis, cujus fructus ducit ad mortem: fructus autem duodecim sunt, immortalitas corporis, vita æterna, ornamenta virtutum, merita bonorum operum, beneficiendi facultas, pronitas virium, animæ puritas et perspicacitas, sanctorum associatio, bonorum Ecclesie communicatio, pax et concordia superiorum, obedientia inferiorum, abundantia terrenorum et temporalium bonorum. BELLOV., l. II, sp. *Mor. dist.* xxv, p. III.

Vereor, ne et inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera sponsus, eo quod non redoleant lilia. Etenim si in die jejunii mei inveniat voluntas mea, non tale jejunium elegit sponsus, nec sapit illi jejunium meum; quod non liliū obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solum de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni observatione monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, et non obedientia magistrī sui, id ipsum sentio, S. BERN., s. 74 in *Cant.*

Quanto quis altius in obedientiæ virtute profecerit, tanto ei Deus erit exorabilior, et omnis creatura ad obediendum homini creata subjectior, et obsequiosior. S. BON., l. II, de *Profect. rel.* c. XII.

Qualiter nos audimus nostros superiores, taliter nostras exaudit Deus orationes. *IBID.*, t. VII, *Collat.* III.

Si obedierimus Præpositis nostris, obediēt Deus orationibus nostris. S. GREG.

Citius exauditur una oratio peccatoris obediētis, quam decem mille contemptoris. S. BONAV., in *Reg. nov.* c. XIII.

Ad hoc ordinatum est mysterium tam sanctum (Eucharistiæ) ut frequentaretur. Non enim ex sola indignitatis æstimatione a communione se quisque subducere debet, nam peccato amoto, eo quisque fit dignior, quo indignior se putat; nemo enim ad hoc suscipiendum per se dignus est, quamvis multa sit præditus sanctitate; obedientia quemque dignum facit non vita Obedientia enim puritatem impertitur, quæ est optima ad hoc sacramentum dispositio; unde B. Humbertus ait: Obedientia a libidine vitio-

rum mentem purgat; et I. Petr. I, dicitur: « Animas vestras castificantes in obedientia charitatis. » S. LAUR. JUST., de *Casto, comub.* c. XXIV.

Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. Melior est obedientia quam victimæ; obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. S. GREG., V. *Moral.*

Nec magna lucra jejunii, nec aspera vitæ studia, devotis Christi militibus in Majorum præcepta pensanda sunt, majoris enim meriti est charitatis injuncta refectio, jejunio propria deliberatione perfecto. Qui enim jussus carnem reficit, invitus jejunii præmium devotioe promeruit, et ampliorem mercedem obedientiæ manducando acquisivit. S. GREG., l. II, in *I Reg.* c. II.

Intendite, filii, virtutis hujus aliquod ex parte vestigium. Obedientia salus est omnium fidelium. Obedientia genitrix est omnium virtutum. Obedientia regni celorum inventrix est. Obedientia cælos aperiens, et homines de terra elevans est. Obedientia cohabitatrix Angelorum est. Obedientia Sanctorum cibus est; ex hac enim abactati sunt, et per hanc ad perfectionem venerunt. QUIDAM SENEX, in *Vit. PP.*, l. III, libell. XIV, n. 49.

O Felix et abundans gratia! in obedientia summa virtus clausa est, nam simplici ingressu hominem ducit ad Christum. S. HIER., *Reg. Mon.*, c. VI.

O summa libertas, qua obtenta vix possit homo peccare. *IBID.*

Magna vis est voluntatis, quæ nos efficit posse, quod volumus, et non posse illa, quæ nolumus. S. CHRYS., s. de *Zachæo.*

Hæc est quadriga, qua Elias est a mortaliū cœtu sublatus, et ad superas sedes evehctus. Hæc paupertatem fovet, castitatem perficit, virtutes reliquas urget, ne segnes vacent, et in suorum operum labore torpescant. Hæc denique est, quæ ut fidelissima comes, et solertissima adiutrix viro justo adstat, ut viam salutis currere incipiat, ut in ea progressus faciat, et ut feliciter ad finem optatum sanctitatis perveniat. JAC. ALV., t. II, l. V, p. III, c. I.

Obedientia est spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta navigatio, confectum dor-

miendo iter. Obedientia est sepulchrum voluntatis, et excitatio humilitatis: nihil resistit, nihil discernit mortuus in omnibus bonis, aut in his quæ videntur mala. Nam qui pie animam suam mortificaverit, securus pro omnibus rationem reddet. Obedientia est discretionis depositio inter divitiis discretionis. S. CLM., *Grad.* IV.

Obedientia sola est, quæ Deo hominem conciliat. S. ANSEL., sup. *Epist. ad Hebr.*

Obedientia vincimus demones, cæteris virtutibus impugnamus, S. GREG., in *II Reg.*

DIGNITAS. — Vere beatus est, qui obedientiæ fruatur possessione, quia, cum Domini sit imitator, etiam coheres efficitur illius. S. EPHEM., de *Vita, c. de Obed.*

Quid est adeps arietum, nisi pinguis et interna devotio electoris; adipem ergo arietum offert qui in studio secretæ conversationis devote orationis affectum habet. Melior tamen est obedientia, quam victimæ, et quam offerre adipem arietum. Quia qui perfecte voluntatem sui præceptoris implere didicit, in cælesti regno et abstinentibus et flentibus excellit. S. GREG., in *Reg.* c. XXXV.

Hæc in nobis summa et sola virtus est obedientiæ. Si jejunaveris diebus ad noctibus orationemque feceris, si in sacco fueris, vel in cinere, si nihil aliud feceris, nisi quodcumque præceptum est in lege, et tibi visus fueris quasi sapiens, et obediens Patri non fueris, omnes virtutes perdidisti. Una obedientia plus valet, quam omnes virtutes. S. AUG., tr. 14, de *Obed. et humil.*

Quid expedit tibi, nisi esse sub Domino? quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? sola obedientia tenet palmam, sola inobedientia invenit penam. *IBID.*, tom. VIII in *Psalms.* LXX.

Victimæ sunt obsequia obedientium quia cum hominibus pro Deo subjiciuntur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus demones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt; qui dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsi lapsi per obedientiam Angelis dominantur. S. GREG., in l. IV, *Reg.* c. IV.

Pulchritudo animæ pendet ab obedientia erga Deum, anima enim quamlibet deformis, siquidem obtemperaverit, deponit peccatum, speciosa redditur: « Saule, quid me persequeris? » ille vero: « Quis es Domine? » — « Ego sum Jesus. » Obedivit, et obedientia ipsa

deformem prius animam apprimè formosam reddidit. Rursus Publicano dicit: « Veni sequere me; » et surrexit Publicanus, et factus est Apostolus. Utique anima deformis prius, venustatem recepit formæ. Unde? Ab obedientia. S. CHRYS., in *Psal.* XLIV.

Nullum in hac vita charius, dignisque sacrificium Deo omnipotenti offerri potest, quam cor humile et obediens; unde posset aliquis sub uno momento, tam humiliter ac pure propter Deum obedire, propriamque abnegare voluntatem, ut amplius, veriusque in Deum sine medio duceretur, quam si toto decennio in propriis conceptibus, atque institutis magna cum devotione vixisset. TAULER., l. I, in *Dom.* 3 post. *Pent.*

Obedientia est holocaustum, quod nihil non Deo consecratum reliquit. Paupertas opes immolat; temperata carnis mactat, ab obedientia corpus hominis, et appetitiones ejus, et voluntatem, et iudicium et breviter Deo omnia hominis bona submittit, quapropter verissime Anselmus bonum sæcularem homini comparat, Domino fructus cuiusdam arboris offerenti, Religiosum vero, non tantum fructus, sed et arborem ipsam donanti. Ille dicit: « En, Domine, fructus vitæ meæ tibi trado: » hic vero ait: « Et ego non tantum opera, sed me ipsum totum committo. » JAC. ALV., p. III, c. IV.

Ut non esset nobis obedientia laboriosa, exitum presentis vitæ Salvator per obedientiam terminavit. Jure ergo obedientia omni sacrificio præponitur, quia de potestate diaboli nos eripuit, quod nullum legale sacrificium facere potuit. S. AUG., s. V, ad *Frat.*

Per alias virtutes nostra ei impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus: quid enim sunt bona electorum opera, nisi victimæ et holocausta? cum ergo holocausta, et victimas per legem offerri Dominus præcepisset, et quid est, quod Dominus holocausta et victimas nolle dicitur, velle autem ut ei obediatur, nisi, quæ propter obedientiam flunt, holocausta et victimæ non sunt; quasi dicat: tunc bona sunt opera, quando a præpositorum conscientia non discordant. S. GREG., l. XXXV, *Mor.* c. XI.

Si est aliquid genus supplicii, quod Martyres facit, tunc maxime illi Martyres flunt, qui toties verbo Dei tamquam gladio submissi plectuntur, quoties sibi ipsis per obedientiam moriuntur. O quam sublimiter de talibus filiis gloriari potest sponsa Christi Ecclesia dicens: « Manus meæ distillaverunt

myrrham, et digiti mei pleni myrrha potatissima. » TH. KEM., *Opusc.* 7, c. III, § 2.

Per obedientiam nobilissimum triumphum acquiritur : nobilissimum enim gnestriumphum est, vincere seipsum, quod facit obediens. Multi urbes et regna subjugaverunt sibi, qui tamen ad hunc nobilissimum triumphum non pervenerunt; hic triumphus proprius est hominis. S. HUBERT, p. I, c. x.

Neque sumus minus felices Apostolis, quia illis Christus per seipsum præcepit, nobis per homines, imo quodammodo feliciores. Quid enim magnum est, si homo Deo immediate sibi præcipienti obediat? At magnæ fidei indicium est, hominem homini propter Deum humiliter obedire et in homine abjecto, et sibi simili, Deum præcipientem agnoscere. Certe Thomæ Christum resuscitatum videntem, ipsumque Deum esse credentem, dixit ipse Dominus : « Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati, qui non viderunt, et crediderunt. » Idem omnino sibi obediens, quia immediate præcipiebat, posset dicere : quia vidistis me, obedistis mihi; beati qui me non viderunt, et in suis Prælati mihi obediunt, JAC. ALVAR., p. III, c. II.

Obedientiæ majus bonum quam continentie. AUG., *de Bon. conjug.*

JUCUNDITAS. — Vivere in obedientia nihil aliud est, quam suum onus aliorum humeris imponere, natate super aliorum umeras, et sustentari in aquis, ne mergamur, sed sine periculo, hoc grande pelagus hujus vite transeamus, et quidem brevissima navigatione. CLIMAC., gr. IV.

Præcepta Dei nolentibus gravia, volentibus sunt levia, sicut ipse ait : « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Audiamus Dominum et Salvatorem nostrum, præcipientem nobis, et suo exemplo nos admonentem : « Tollite, inquit, jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum. » Quid est jugum Dei super se tollere, nisi sanctæ obedientiæ præcepto seipsum propter Deum subicere? Quantus sit obedientiæ fructus, ostenditur, cum subinfertur : « Et invenietis requiem animabus vestris. » Obedientiæ quidem disciplina modo in labore est, sed in futuro fructum habet pacatissimum. S. AUG., *ser. LXI, ad Frat.*

Si quis erga Patris subjectionem, suam conscientiam ad summum possedit mundam, iste de cætero per singulos dies mortem quasi somnum, magis vero vitam ex-

pectans, non conturbatur, cognoscens in solido, quia non ipse in tempore separationis, sed qui præest, reddet rationem. S. BONAV., t. VII, coll. 3.

Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus et facile omnia præcepta veniunt in affectum, quando et gratiæ præcedit auxiliium, et obedientia mollit imperium; nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod jubetur. S. LEO, in *Apparit. Dom.*

Quanto sapor divinus excedit omnem naturalem gustum vel saporem, tanto etiam obedientia omni proprietate melius sapit. RUSBROCH, *de Præst. virt.* c. III.

Quamvis supra actiones omnes jucundum sit laudare Deum, multo tamen jucundius est, esse proprium Dei. IDEM, c. II.

Obedientia mortis securitatem parit, et obedientibus licet esse imperterritis. THEOD. STUDDIA.

Si liberari perfecte volumus, et ab hoc sæculo discedere, oderimus in primis voluntatem nostram, et sic brevi divino præsidio ad impassibilitatem animi (qualis in hac vita haberi potest) pervenimus. Nihil enim adjuvat hominem ad hoc, quam sensus suos odisse. Atque ita se habet hæc ratio ad omnem virtutem, ut si viator iter ingressus scipione invento, cui imitatur, iter magis acceleret, et præoccupet viam : hic enim qui viam hanc incedit, si propriam voluntatem abscondat, abscondit, et pristinas affectiones, quibus abicissis fit Dei opere, certa quadam ratione impassibilis. S. DOR., *Doctr.*, I.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Disce obtemperare pulvis : disce te humiliare terra et limus : et sub omnium pedibus incurvari : disce voluntates tuas frangere : et ad omnem subjectionem te dare.

Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere, sed ita subjectum et parvulum te exhibe, ut omnes super te ambulare possint, et sicut lutum platearum conculcare.

Quia adhuc nimis inordinate te diligis, ideo plene te resignare aliorum voluntati trepidas.

NECESSITAS. — Multi sunt sub obedientia magis ex necessitate, quam ex charitate, et illi poenam habent, et leniter murmurant,

nec libertatem mentis acquirunt, nisi ex toto corde propter Deum se subjiciant. L. I, c. IX, § 1.

Curre huc vel illuc, non invenies quietem, nisi in humili subiectione sub Prælati regimine. *IBID.*

Fili, qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit a gratia : et qui querit habere privata, amittit communia. L. III, c. XIII, § 1.

ÆQUITAS. — Quis est ita sapiens, ut omnia scire possit? ergo nolim in tuo sensu confidere, sed velis etiam libenter aliorum sensum audire. L. I, c. IX, § 2.

Quid magnum! si tu, qui pulvis es et nihil, propter Deum te homini subdis, quando ego Omnipotens, et Altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te subjeci. Factus sum omnium humillimus, et infimus, ut tuam superbiam mea humilitate vinceas. L. III, c. XIII, § 2.

Quid habes homo inanis conqueri? quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, et infernum multoties meruisti? sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo : ut cognosceres dilectionem meam, et gratas semper pro beneficiis existeres, et ut ad veram subjectionem, et humilitatem te jugiter dares. *IBID.*, § 3.

UTILITAS. — Si bonum est tuum sentire, et hoc ipsum propter Deum dimittis, et alium sequeris, magis exinde proficies. L. I, c. IX, § 2.

Valde magnum est in obedientia stare, sub Prælato vivere, et sui juris non esse : multo tutius est stare in subiectione, quam in Prælatura. *IBID.*, § 7.

Disce ergo celeriter Superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subjungere; citius namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus. L. III, c. XIII, § 1.

JUCUNDITAS. — Utinam sic tecum esset, et ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum pure stares, et ejus, quem tibi præposui Patris, tunc mihi valde placeres, et tota vita tua in gaudio, et pace transiret. L. III, c. XII, § 2.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Christus humiliavit seme-

tipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. PHILIP., II.

B. Virgo tam perfectam parentibus obedientiam exhibuit, ut ne in minima quidem re unquam illos contristarit. Inter alia specialem gratiam quotidie petiit a Deo, ut omnibus mandatis Pontificis parere posset. Sed, et Josepho marito summam semper reverentiam, et obedientiam præstitit. S. MERTIL, I. II, c. V.

Samuel ab Heli vocatum se putans, mox e lecto surrexit, et occurens dixit : Ecce ego, quia vocasti me. I REG., III, 6.

Cassianus de monachis sui avi sic scribit : Confidentes intra cubilia sua, et operi ac meditationi pariter intendentes, cum sonitum pulsantis ostium ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem scilicet eos, seu ad opus aliquod invitantis, certatim e cubilibus suis prorumpunt, ita ut is, qui opus scriptoris exeret, quam reperiunt fuerit inchoasse litteram, finire non audeat, sed in eodem puncto, quoad aures ejus sonitus pulsantis advenerit summa velocitate prosiliens, ne tantum quidem moræ interponat, quantum cæpti apicem consummet effigiem : sed imperfectam lineam litteræ relinquens, non tam operis compendia, lucrare seculerum, quam obedientiæ virtutem exequi toto studio atque æmulatione festinet. Quam non solum operi manuum, seu lectioni, vel silentio, et quieti cellæ, verum etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent omnia postponenda, et universa dispendia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violare videantur. L. IV, *de Inst.*

S. Franciscus Seraphicus de se ita dicere solebat : Inter alias gratias, quas divina bonitas in me plena congestit manu, etiam hæc me dignata est, ut animo tam libenti unius horæ novitio, quam cuivis veterano quamlibet prudenti obtemperarem. L. I, *Chr.* p. I, c. XXVIII.

S. Theresia adeo fundata erat, in obedientia, ut dicere solita sit : « Si omnes Angeli dicerent aliquid, et Superior contrarium præciperet, se tamen hujus imperium prælaturam; » Superiorum enim obedientiam in S. Scriptura a Deo commendatam esse, atque adeo esse de fide, in qua non possit esse deceptio; at revelationes Angelorum illusionibus obnoxias esse. VII. I. IV, c. XX.

S. Francisca Romana etiam illas res, quas sciebat divinitus se debere exequi non

exequatur sine Confessarii consensu, idque Deus in illa probat. Eidem S. Birgitta apparsit dixit : « Ut ad imitationem sui nunquam discederet ab obedientia, cum sit vera via operandi mirabilia ; » et addidit, « ut si forte evocaretur ab obedientia, dum cum magna suavitate loquitur cum dilecto Domino, sine ulla mora relinqueret illam conversationem propter obedientiam. » L. I, VII. c. xxxvii et l. III, c. xvii.

Obedientissimi duo adolescentes mori mauerunt, quam ficos, quos ad alium deferri iussi erant, attingere. *Spec., dist. 2, ex. 230.*

S. Bernardus cum mortuus tot miracula faceret, ut propterea concursus hominum divina officia impediret, ideoque Abbas ei præcepit, ut cessaret ab iis patrandis, ab illo momento nullum amplius patravit. Idem S. Antonius de monacho quodam defuncto, ad imperium Jancellini Prioris Generalis Carthusianorum, et Lyraus de Petro Cajetano ad S. Francisci mandatum testatur. *LYRAUS, l. I, Apoph. S. IGN. 12.*

Cum quadam Abbatissa simplicior a suis, quam vitæ ratio exigeret, crederetur, ideoque nullam audientiam impetrare posset, ad mortuorum sororum sepulchra se confertens, illis precepit, ut surgerent, et sua mandata perficerent, quod istæ statim fecerunt. *Idem.*

B. Genebaldus Landunensis Episcopus in cœnobii cellulam a S. Remigio conclusus, ut septennio toto expiabilem duceret vitam, cum ante completum septennium Angeli voce moneretur egredi, in formam Crucis prostratus respondit : « Etiam si ipse Dominus Jesus ad me indignissimum venire dignaretur, pedem tamen hinc prius foras non efferrem, donec ille, qui me illius nomine hoc ergastulo conclusit, advenerit. » *Idem, ex Lippelo, 1 octob.*

Euphrosina virgo Alexandrina, cum virili habitu, et Smaragdi nomine assumpto, in monasterium admissa, ob vultus decorem, ne aliis periculum crearet, in cellula inclusa, et humanis æque ac divinis officiis abstinere iussa esset, toties triginta octo annis in ea constantissime, et cum magna quiete perseveravit. *DREX., in Rosis, p. II, c. xiii, § 8.*

De Venerabili Patre Joanne a Cruce Carmelita discaleario legitur, quod, postquam in religionem ingressus absolutis Salmanlicæ studiis suis (ubi, velut flos ingeniorum, omnibus admirationi fuerat), ad vitam con-

ventualem reverteretur, director ipsius ad ejus probandum spiritum, obedientiam, velut exploratricem adhibuerit : nam quia scientiæ suæ opinione tumidum advertebat, obedientia ei medicinam facere decrevit; libellum igitur, in quo prima elementa Christianæ fidei continebantur, homini ab aliis abstinere jussu in manus tradit, imperatque ut puerorum more stylum per singulas litterarum notas duceat easque ut legendi ignarus componat, hoc illi studium convenire. Paruit strenue adolescens, diuque id fecit, tanto animi sensu, ut per eam exercitationem, non unius modo obedientiæ, quæ prima petebatur, sed reliquorum virtutum, quæ comites adesse solent, ingentibus auctum incrementis fateretur. *MANSI, tr. LIV, disc. VII, n. 8.*

Duo fratres carnales venerunt habitare in monasterio quodam, ex quibus unus erat præclaræ continentiæ, alter obedientiæ magnæ, cui dicebat Pater : Fac hoc, et faciebat, manduca mane, et manducebat; de qua re magnam opinionem in Monasterio habebat, qui ita obediens existebat. Punctus autem invidia mucrone frater ejus, ille continens, adversus eum dixit in seipso : Ego probo eum, si habeat obedientiam; et accedens ad Patrem monasterii, dixit ei : « Mittite mecum fratrem meum, ut eam alicubi, » et dimisit eos Abbas abire; et assumens eum ille frater abstinens, voluit eum tentare, et cum venisset ad flumen, ubi erat multitudo crocodilorum, dixit ei : « Descende in flumen, et transi. » Quam vero navi illum Nilum trajecisse existimatis? Utique non alia, quam ea, de qua paulo ante diximus, scilicet obedientiæ navi, nam, statim subditur : Et ille mox descendit. Cumque obediens fuisset, nullum inter procellas ab invidia fraterna sibi commotas sustinuit periculum, quin potius venerunt crocodili, et lingebant corpus ejus, in nullo ledentes eum. Quod cum vidisset frater ejus, dixit ei : « Ascende de flumine etc. » *Vitæ Patrum, l. V.*

S. Hieronymus refert, quod monachos in eremo visitando quemdam viderit, cui Superior præceperat, ut quotidie saxum ingens per trium milliarum spatium humeris suis portaret, tametsi illius nec utilitas nec necessitas ulla esset. Octo jam anni præterierant, quibus præceptum istud punctatim adimpleverat. Et quia, inquit S. Doctor, jussio hæc puerilis quidam lusus videri poterat

illis, qui meritum obedientiæ non agnoscebant, eundem sciscitatus sum, an libenter præcepto huic paruisset, qui respondit : Adeo id libenter, et prompte feci, quando ingens hoc pondus ad tantum spatium detuli, ut id ipsum velut rem sublimem maximique ponderis interpretatus fuero. Scribit vero sanctus Hieronymus, se ab hoc responso adeo fuisse permotum, ut ab eo tempore, et deinceps monachi vitam agere cæperit. *S. HIER., in Reg. Monach., c. xii.* Huc digitum intendit Rodriguez, quando alicubi scribit : Monachus quidam octo annis per tria millia jussus ingentis ponderis lapidem bis quotidie ad Monasterium deferre, dicebat, se tam lætum ac contentum illo tempore fuisse, ac si rem omnium, quæ injungi poterat, honorificentissimum fecisset. *RONA., p. III, tr. v.*

Cum Augustinus Mannius Ordinis Clericorum Regularium S. Philippi eleganter ad concionem dixisset, eadem, quæ dixerat, summa fide, ne verbo quidem mutato, sex consequentibus diebus, quibus ei dicendi sors obtigerat, repetere a Philippo jubetur arduum plane imperatum, et humana spectantibus ineptum. Verum Mannius obedientiam populari anteferebat judicio, ac sibilorum securus, constanter executus est, quamquam ridente corona, quumque in suggestum ascenderet ad dicendum, claro susurro obmurmurante : « En hominem unius orationis, sed ea multorum olim erat sermonibus prædicanda. » *Jo. RHO., l. IV, c. viii, ex. 2.*

Parem consuetudinis, ac naturæ vim esse, detrito sapientum proverbio, quum scitum sit, validissimam illam oportet esse obedientiam, quæ centum annorum mores valeat immutare; facilius aliquando naturæ ingenium, quam mores exuimus, sed nihil virtuti est inaccessum. Gratia Ordinis Minorum virgo ab ultima infantia ad senectam usque centum et amplius annorum ætatem, durissimam vitæ genere usa, post abdicatam paternam hereditatem, atque in pauperes distributam, sine lare ac tecto, aspera veste, cibo, ac lectulo prope nullo transegerat, eique vitæ generi veluti inoleverat. In eo ne obiret, visum est sacerdoti, quod ad arcana animi arbitrio utebatur, molliendum esse, et parcendum tam exactæ senectuti. Ne verbo quidem imperium deprecatam tam prope metam abjunctit, lacrymis modo obortis testata, difficilior esse,

mollius ex alieno, quam durius ex animi sui sensu vivere, adeoque virtutis amplioris. *Idem, ex. 11.*

Tertio post S. Viti mortem die, cum consuetas pro illo preces, et exequias celebrarem, repente totus locus, in quo funus jacebat, gratissimo odore perfusus completur. Itaque Præses Cœnobii jubet aperiri feretrum; tum vero presentes omnes cernimus ex venerandis ejus plantis geminos quasi fontes fragrantis unguenti scaturire : quare Præfectus Monasterii : « Videtis, inquit, omnes miraculum? in laborum, et fatigationum de pedibus ipsis expressi sudores, tam gratum Deo odorem unguenti per obedientiæ sacrificium obtulerunt. » *MANSI, tr. LIV, § 54, n. 6.*

Paulus monachus cognomento Simplex, Antonii discipulus, cum primitus Mysteriorum ignarus quæsisset, essetne Prophetis prior Christus, ineptam interrogationem silentio diluere jussus, triennio tacuit. Post hæc cum multa illi absurda et supervacua experiunda tantum obedientiæ causa impetrarentur, veluti necessaria, perficere nunquam distulit : sicuti aquam haurire, et haustam effundere, vestes dissuere et easdem dissutas iterum consuere, et alia hujusmodi : quæ ille non quod frivola essent, sed quod jussa perpendens, libenter exequabatur et diligenter implebat. *MARUL., l. II.*

Joanni cuidam apud Lycum Thebaidis oppidum commoranti Abbas ejus obsequii experiundi causa precepit, ut palum aridum in terra defixum, aqua, quæ duo millia passuum a monasterio distabat, bis per diem adjecta, totidem vicibus irrigaret; cum vidisset neque labore illum defatigari, neque ligni nunquam ad viriditatem redituri desperatione commoveri, post annum in tali opere consumptum interrogat, an lignum illud jam radices egisset, et se necesse respondenter, everso ligno ab irrigatione desistere jussit. *Idem.*

Lambertus Trajectensis Episcopus, cum invidorum malignitate motus ad monasterium Seabolanense confugisset, monachalem servans vitæ modum a lectulo desiliens percussus pedibus pavimento, strepitum fecisset, Abbas eo quod silentii ea hora erat, quasi subindigne ferens, voce sublata ait, ut quisque illud culpæ commisisset, continuo ad crucem exiret, non antequam diei crepusculum esset, reversurus, cuius aulam ipsa extra monasterii septa diu erecta sta-

bat : repente itaque Lambertus, sicut nudis pedibus adhuc et cilicio tantum indutus erat, abiit, et hoc quidem brumæ tempore, ut multi mirarentur, quomodo algore contractus non exirasset, mane semivivum reduxerunt, et Abbas veniam petiit, affirmans nunquam se putasse hoc monachorum aliequem facturum, nedum Episcopum. Ideoque joco magis quam serio verbum protulisse, hac tamen obedientiæ subjectione Lambertus meruit, in Episcopatus sui sedem restitui, et tandem martyrio coronari. *Ibid.*

Frater quidam non obscuro loco natus cum relictis mundanæ conversationis rebus religioni sese tradidisset, sportulas venales Abbatis jussu publice circumtulit, unamquamque singulatim distrahendo, ea tantum de causa, ut diutius in foro esset, et an illum tam abjectæ negotiationis pederet, vel longiore experientia plenius nosceretur; omnia summa animi constantia curaque peregit, postposita generis nobilitate sanctæ obedientiæ humilitati, ne stivam manu tenens et aspiciens retro, ineptum se faceret regno Dei. *Ibid.*

UTILITAS. — Plantaverat quidam senex lignum aridum in eremo, et volens obedientiam Fratris probare, dixit ei : « Per singulos dies riga lignum illud, donec fructum faciat. » Erat autem longe ab eis aqua, ita ut vespere pergeret, et mane veniret. Quod cum fecisset per tres annos Frater, illud lignum viride factum est, et fructum attulit; sumens autem ex fructu ejus senex attulit ad cellam, et dixit Fratribus : « Accipite, et manducate obedientiæ fructum. » Dicebat senex, quia nihil sic quærit Deus ad initium conversionis, quam obedientiæ laborem. » *SMARAGD. ABBAS, c. v, de Obed.*

De Guilielmo quondam Aquitanie Duce referunt Scriptores, quod monachus existens, jussus panes coquere, cum jam cenæ tempus instaret, confestim succendit fornacem, rotabulo ignem circumvertit, sed scopam, qua prunas everreret, et locum ponendis panibus aptaret, non habuit. Insiens ergo in fornacem, melote pro scopæ est usus. Tum demum coctos panes Fratribus nihilo tardius, quam reposebat, attulit, nulla corporis aut indumentorum parte læsa, ut propensæ obedientiæ alacritatem intelligas, et inter pericula securam, et inter infirma nobilem. Factus erat quidem de Aquitanie Provinciæque Domino mona-

chorum furnarius, sed de monachorum furnario factus est Regni celestis perpetuus possessor, terræ Regibus major, Angelis par. *M. MARUL., l. IV, c. III.*

Sanctus Antonius sanctum Paulum simplicem in dictaminibus veri spiritus erudiens, ad ejus probandam obedientiam valde peregrina, et paradoxa eidem præcepit, quæ, dum ipse sine contradictione exequeretur, virtutem ejus magnopere est admiratus. Multa tamen eum docere volens, de obedientia præcipere ei solitus erat, etiam quæ ratio, et causa non posceret, in quibus ejus animus erga obedientiam probaretur. Haurire enim aliquando eum aquam jussit ex puteo, et in terram tota die effundere, et contextas sportellas resolvere, ac denuo contextere, et vestimentum dissuere, atque iterum resuere, et sursum resolvere. Denum vero historia, ad nostrum propositum in hæc verba concludit : Ita per hæc informatum, brevi ad perfectionem venit : ex cuius exemplo docebat B. Antonius, quod si quis velit ad perfectionem velociter pervenire, non sibi ipsi fieret Magister, nec propriis voluntatibus obediret, etiamsi rectum videatur esse, quod vellet, sed secundum mandatum Salvatoris observandum esse, ut ante omnia unusquisque abneget semetipsum sibi, et renuntiet propriis voluntatibus, quia, et Salvator ipse dixit : « Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. » Ea utique voluntas Christi non erat contraria voluntati Patris, sed qui venerat obedientiam docere, non inveniretur obediens, si propriam faceret voluntatem.

De Sancto Francisco Assisinate legitur, quod, cum mortuo Beato Petro Catanæo propter ejus sanctitatem, et crebra miracula catervatim in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Angelis ad ejus sepulchrum non sine fratum incommodo, et quietis, silentique monastici detrimento, undique populi confluerent, ad ejus tumulum accedens Beatus Pater, et super illum stans ait : « Frater Petre, qui mihi in vita propensissimam præstitisti obedientiam, in morte humile non denegabis obsequium. Propter te fratrum tuorum religiosa quies perturbatur, dum a tot tantisque populis debitus honor tuo corpori exhibetur. Per sanctam tibi injungo obedientiam, non plura deinceps perpetres miracula, ne quod in Dei, et Sanctorum ordinatur honorem, in hujus religiosæ ædiculæ manifestius vergat detrimentum. » Mirabile dictum ! Nullum

postea fecit miraculum, nec populi tumultus amplius venit ad sepulchrum. *S. FRANC., APOPH. 43.*

In revelationibus Sanctæ Birgittæ legitur eum ob interruptas de mandato Prælati asperitates corporis, mirum in modum tristeretur, apparuit Beata Virgo, eique meritum obedientiæ aperuit; qui enim, dixit, efficacem voluntatem jejunii, aut pii operis habens, ob Prælati mandatum omittit, meritum ejusdem operis omisi non perdit, et meritum aliud obedientiæ acquirit. *REVEL., l. IV, c. xxxvi.*

Cardinalis Baronius dum in nostra etiamnum congregatione moraretur, utpote unus ex primis Sancti Philippi Neri discipulis, cui directionem suam totaliter commendaverat, stomachum adeo languentem habebat ut modicus quisque cibus magnum ei fastidium, capitisque causaret dolorem, adeo ut vir sanctus ei orationi, et cuivis alteri mentis applicationi insistere prohibuerit. Et tamen cum Sanctus Philippus die quodam post meridiem illum conveniens, panem satis magnum, et limonem, sive malum Massilicum in ejus camera vidisset, eidem, ut utrumque in sua presentia manducaret, mandavit, quod tametsi secundum discursum humanum timorem ingerere potuisset, ne talis obedientiæ executio mortem ei conciliaret, siquidem malum Massilicum ejus infirmitati natura sua plurimum nocere debuisset : ipse tamen non discurrendo, sed obediendo, et intellectum suum captivando viro Dei promptissime obedivit. Unde Dei dispositione factum est, ut propter tam heroicæ virtutis merita a capitis dolore, et languore stomachi plane liber evaderet. *Vit. S. Phil. Neri, l. I, c. xx, n. 3.*

Instabat aliquando Sacratissima Solemnitas Assumptionis (si rite meminimus) intemeratæ, et Immaculatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, et fratres Grangiarum Clarævallis ob reverentiam tantæ diei ad Abbatem festinabant, verum in una ex his Grangiis, quæ viciniores erant, fuit conversus quidam Religiosus, ac timens Deum, qui etsi pro simplicitate sua, perfectiora quæque sacra Religionis apprehendere nequibat, bonæ tamen voluntatis, et devotionis existens, piissimam Dei Genitricem Dominam nostram sincero venerabatur affectu. Cum Magister Grangia ordinaret, quisnam ad Abbatiam ire deberet, vel qui ob tutelam domi remaneret, inter cæteros, qui remansuri

erant, eidem fratri cura custodiendarum ovium commissa est. Quam commissionem licet ægerime ferret, quoniam sperabat, et multum desiderabat divinis hymnis, et cantilenis spiritualibus interesse, quas in honorem Reginæ cæli a sancto illo conventu, devotissime persolvendas fore sciebat, nihil tamen ausus contradicere, obedientissime paruit imperanti. Unde accidit, ut devotio sancta, quam mente conceperat, quamque per inquietudinem terrenæ occupationis, quam obedientia injunxerat, perdere timebat, eadem obedientia promptam voluntatem ipsius remmerante, velut ignis scintillas, et aestuans in præcordiis ejus, magis ac magis dilatata, ferventius efflueret. Nocte itaque sacratissimæ celebritatis, dum sollicitus excubias, super gregem suum in pacuis quiescentem servaret, factum est, ut sonitus signi matutinalis, quo fratres ad divinas laudes persolvendas in cœnobio excitabantur, quodque ob contumaciam silentium procul andire poterat, aures ipsius reverberaret. Tum vero concealit cor ejus in ipso, et in meditatione ipsius exarsit ignis, cogitantis sanctæ illius multitudinis frequentiam qualiter sincero affectu piissimæ Matri misericordiæ celestis harmoniæ laudes in commune persolverent, seu qualiter singuli quique apud se in secreto suo ejusdem Beatæ Virginis patrocinium, votis, et suspiriis implorarent. Protinus ergo exurgens, tantæque devotionis pro modulo suo particeps effici cupiens, versus illam plagam cæli, qua monasterium situm erat, vultu, et animo intentus stabat, dehinc consuetudinariis precibus, quæ conversis vice matutinarum statuti sunt, quanto potius devotius expletis cum in paupere oratoriolo cordis sui enixius quæreret, quid precis, seu quid laudis Dominæ nostræ offerret, unde profelatas, et in longum valde productas fratrum vigiliis aliquo modo recompensare potuisset, nihil aliud præter salutationem ejusdem piæ Dominæ, quam utenique didicerat, se seire invenit. Hinc itaque tanquam verbum consummans, et abbreviatum, in quo plenitudo totius devotionis invenire posset, assumens, et oculos ad cælum dirigens, venias venias, suspiris, salutationes salutationibus superaddidit, in tam religioso negotio reliquam noctis, et diluculi partem sine tædio transegit. Denique quod non frustra in gemitu suo laboraverit, nec in cassum misericordiam a Matre misericordiæ quæsierit, Dominus Re-

verendissimo Abbati Bernardo per spiritum revelare dignatus est. Qui divinis hymnis expletis, cum in conventu Fratrum ob tantæ Solemnitatis prærogativam commendandam, sermonem faceret, Spiritus sancti gratia vehementer ignitum, inter cætera sic ait: « Et quidem, Fratres mei dulcissimi, dubitare fas non est, vos Domino Jesu Christo vero Regi, nec non gloriosæ Virgini Matri ipsius sanctum, beneplacens, et acceptabile devotionis nostræ sacrificium hac nocte obtulisse, ideoque fructum laboris vestri mercedem æternam apud Dominum, et eandem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse, certissima fide tenere debetis. Veruntamen scire vos volo, unum ex minoribus, et simplicioribus nostris conversis quem obedientia hac nocte in montibus, et sylvis istis sub diu tantæ festivitatis gaudia celebrare coegerat, tam jucundum, tam devotum, tam festivum Dominæ nostræ Matutinarum exsolvisse servitium, ut nullius quantumcumque suspensa contemplatio, seu intensa devotio, ipsius devotioni (quam non alta contemplationis sublimitas, sed submissa sanctæ simplicitatis humilitas efficit) præferri potuerit » Quo auditio mirati sunt universi, præcipue non solum mirati, sed et gratulati sunt, et vehementer ædificati fratres laici, quos obedientia tam festiva, quam privatis diebus frequenter in diversa opera trahebat, certissime scientes, quoniam sicut septa claustrum, et parietes templi sanctum non faciunt timorem Domini negligentem, sic etiam negotia, quæ causa terrenæ necessitatis obedientia injunxerit, nihil obesse poterunt, puras manus in oratione levantium. *Spec., ex., dist. III, n. 37.*

De Beato fratre Nicolao de Tolentino fertur, quod, cum semel graviter infirmatus esset, ita ut fratres de vita ejus dubitarent, vocatus medicus jussit eum carnes comedere quod ipse recusavit, donec Prior, qui erat in loco hoc, sibi præcepit. Tunc angustiatum vir sanctus, vocato Priore loci dicit ei: « Generali omnino est obediendum, hoc est, quod promisi, hoc est, quod Salvatori meo, suæ sanctissimæ Genitrici, et Beato Augustino primo obtuli, et usque ad mortem servare cupivi. » Cum ergo Prior, et infirmarius carnes sibi offerrent comedendas, ipse omnino obedire volens, acceptas parva particula semel tantum gustavit de carnibus, dicens: Ecce obediivi. Nolite me amplius de vitio gulae molestare quia melioris medici

adhæsi consilio. Et tunc celeriter est sanatus quod certe non esui tantillæ carnis, sed cœlestis medici medicamini, et merito obedientiæ adscribebatur. Item fertur de eodem, quod, cum quadam vice in infirmitate sua una perdux assata, ad manducandum sibi fuisset apposita, et ipse de ea comedere recusasset, præceptum fuit sibi a Priore per obedientiam, ut manum poneret ad manducandum. At ille volens obedire ingemuit, et elevatis oculis in cœlum, facto crucis signo manum ad perdicem posuit, et ecce perdux reviviscens protinus avolvit. *Id., dist. 7, exempl., c. II.*

Legitur in vita Sancti Arnulphi de Bruxella monachi Cisterciensis, quod, cum ætatis tempore fratres Grangia regulam imitantes monachorum, post prandium pæsarent in lectis suis Dominicis diebus, et festivitibus Sanctorum, vir Domini quærens sibi aliquid diversorium, ubi orationes suas secretius ad Dominum funderet, et inter ulnas sancti amoris interius in spiritu suo suaviter obdormiret, dormire exterius corpore recusabat. Factum est autem, ut quidam frater pro hac re reprehenderet eum coram Magistro Conversorum. Qui statim præcepit ei, ut aliis ea hora dormientibus ipse quoque dormiret, ne, si forte vigilaret, cæteri fratres, qui compatiabantur corpori ejus magnis fatigato cruciatibus, id molesto ferrent. Paruit ille præcepto Magistri sui, sicut ad omnia paratus, et obediens erat. Cum autem post prandium intrasset dormitorium, et calcamenta sua extraheret, et in lectulo suo se collocare deberet, astitit ei subito dæmon qui ridendo et irridendo eum, in hæc verba prorupit: « Eia frater, eia quid est, quod agis? ubi est nunc sancta Religio tua? et ubi sunt vigilæ tuæ, quas hora ista observare consuevistis? Certe fervor tuus pro nihilo reputandus est, quoniam membra tua torpore sinens perseverare negligis in opere quod cepisti. Surge ergo velociter, et vigiliis atque orationibus intende, sicut jam pridem fecisti. » Cumque vir beatus dæmonem sibi astare conspiceret, verba ejus seductoria contemnens, quia eum contra præceptum Magistri sui ad vigilandum provocabat, cum indignatione ait: « Recede a me miser, recede a me, modo enim velis, nolis, dormiam, ut confundaris, et somno meo torquearis. » Et cum hæc dixisset, antiquus hostis in fugam conversus est. *Id., dist. 8, exempl. 156.*

Senex quidam erat in Thebaida sedens in

spelunca, et habuit quemdam discipulum probatum. Consuetudo autem erat, ut senex vespere doceret discipulum, et commoneret eum, quæ essent animæ profutura. Post admonitionem faciebat orationem, et admittebat eum dormire. Contingit autem laicos quosdam religiosos scientes multam abstinentiam senis venire ad eum, et cum consolatus fuisset eos, discesserunt. Et postquam discesserunt, sedit iterum senex vespere post Missas, secundum consuetudinem admonens illum fratrem, et instruens eum, et cum loqueretur, gravatus est somno. Frater eum sustinebat, donec excitaretur senex, et faceret ei secundum consuetudinem orationem. Cum ergo non evigilante sene diu sederet, discipulus illius compulsus est cogitationum suarum molestia, ut recederet, et dormiret. Qui extorquens sibi, restitit cogitationi, et resedit. Iterum autem compellebatur somno et non abiit. Similiter factum est usque septies, et restitit semper animo suo. Post hoc jam media nocte transacta, evigilavit senex, et invenit eum assistentem sibi, et dixit ei: « Usque modo non discessisti? » Et ille respondit: « Non. quia non dimiseras me, Pater. » Ex senex dixit: « Et quare non me excitasti? » et respondit: « Non præsumpsi pulsare te ne contribularem. » Surgentes autem cæperunt facere matutinas, et post matutinarum finem dimisit senex discipulum. Qui cum sederet solus, factus est in excessu mentis, et ecce quidam ostendebat ei locum glosiosum, et sedem in eo; et super sedem septem coronas. Interrogabat autem illum, qui ei hoc ostendebat, dicens: Cujus sunt hæc? et ille dicebat: « Discipuli tui, et locum quidem et sedem pro conversatione sua donavit ei Deus, has autem septem coronas nocte ista promeruit. » Hæc audiens senex miratus est, et tremefactus vocavit discipulum, et dixit ei: « Dic mihi, quid fecisti nocte ista? » At ille: Ignosce mihi Pater, quia nihil feci. Senex autem existimans, quia humiliando se non confiteretur, dixit ei: « Crede, non quiesco, nisi dixeris mihi, quid fecisti, vel quid cogitasti hac nocte. » Frater autem nihil sibi conscius, quid egisset, non inveniebat, quid diceret. Dicebat autem seni: « Ignosce mihi, Pater, quia nihil feci, nisi tantum hoc, quod compulsus motu cogitationum mearum ut discederem, et dormirem, septies, sed quia a te dimissus secundum consuetudinem non fueram, non recessi. » Audiens autem hoc senex, statim

intellexit, quia quoties quis resistit cogitationi suæ, toties coronatur a Deo. Et fratri quidem huic nihil horum dixit causa utilitatis suæ, sed aliis narravit hoc spiritualibus fratribus, ut discamus, quia, et pro præcis cogitationibus nobis Deus coronas tribuit. Bonum est ergo, ut extorqueat sibi ipsi homo in omni re propter Deum. Etenim scriptum est: « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. » *Id., dist. II, exempl. 117.*

Cum Frater quidam obedientiæ causa micæ post mensam coligeret, et Abbati ostenderet, in uniones conversæ apparuerunt. *Spec. Eccl., dist. III, ex. 10.*

Cum quondam Fratres ad Innocentii monachi sepulchrum se conferentes dicerent: Ergone, o Innocentii, mortuus es? respondit ille ex sepulchro: Obediens mori non potest. *Id., dist., II, ex. 244.*

S. Dositheus cum ob delicatam indolem graves penitentias suscipere non posset, coronam S. Antonio parem per quinque annorum exactam obedientiam promeruit. *Rouste, p. III, tr. v, c. I.*

Virgo quædam cum a Christo parvulo visitata, eam ad opus commune vocata deseruisset, in cellam reversa velut adultulum juvenem invenit, dicentemque audivit: « Tam magnum me tua obedientia fecit. » *Spec. ex., in appen., ex. 91.*

Rogerus monachus moriturus Arsenium Abbatem sic colloctus est: « Quæso te, Pater, ex obedientia me mori jube, ut etiam moriendo merear, siquidem 60 jam anni sunt, quibus hanc gratiam a Deo petii, ne Patris mei injussu morerer. » Ergo ut Arsenius: « Morere, mi frater; » quod dicto statim mortuus est, et eadem nocte se spectandum Arsenio præbuit, dixitque, mortem sibi obitam pluris a Christo æstimatam esse, quam ullam totius vitæ actionem.

Discipulus quidam senis ad aquam hauriendam missus, cum funis oblitus esset, dixit puteo: « Putee, servus Christi Abbas meus, misit me, ut hauriam aquam. » Et mox aqua ascendit. *Vita PP., I, III, n. 28.*

Cum quidam frater ad mandatum senis in locum periculosum profectus, a meretricem ad opus impudicum sollicitaretur, mirabiliter per vim occultam ad monasterium translatus est. *Id., n. 144.*

S. Francisca Romana cum a marito ter evocata ante, quam unicum antiphonam recitaret, statim paruisset, ultima vice aureis

litteris exaratam invenit. *Vita*, l. I, c. xx. Id quod etiam monacho cuidam imperfectam litteram ex obedientia relinquente configisse scribitur. *Rodrig.*, p. III, tit. V, c. III.

Cum duo Religiosi in Cœna Domini eo ipso quo communicandum erat tempore, ad elemosynam colligendam missi, redeuntes in sacello, ubi S. Eucharistia asservabatur, suam infelicitatem quod eo die sacro epulo abstinere deberent, deplorarent, pulcherrimus juvenis ex arca Eucharistica prosiit, seque Jesum esse asserens, utrique corpus suum porrexit. *Jo. NAD.*, in *An. Hebd. cal.*, ser. 4, hebd. 5.

S. Gertrudi ostendebatur via animarum ad cœlum in similitudine asseris valde proclivis, qui difficulter poterat ascendi; et unde ascendentes se juvabant ambabus manibus, et ex utraque parte erant dæmones impediens. Religiosorum tamen asser habebat ex utraque parte peticas, et præterea etiam Angeli in assensu juvabant.

Quidam senex cum Fratres noctu psallerent, Angelum prodeuntem, et calicem cum hostia portantem vidit, in quem intingens signabat frontem præsentium, imo et aliorum absentium sedes, quia ex obedientia aberant, et licet somno vacarent, commune tamen cum aliis meritum reportabant. *S. DOROT.*, *Doct.*, xi.

Cum Anna de S. Augustino ex Theres. familia juberetur improvise absentis vices in choro supplere, et lectionem legere, ad pulpitum accedens, et partem Breviarii, in qua lectio non erat, ex errore arripens dum aperit, totam lectionem aureis scriptam litteris vidit, legitque. *LYRÆUS*, l. I, *Apoph.*, XII.

JUCUNDITAS. — Joannes Abbas cum post annos triginta in monasterio exactos, alios viginti in solitudine cum summa sanctitate transegit, ad monasterium rediit, asserens, familiaritatis cum Deo jucunditatem, quæ in solitudine percipitur, in monasterio pro jucunditatem libertatis, et pacis, quæ fructu ob sollicitudinum carentiam perferruntur, compensari. *Rodrig.*, p. III, tr. V, c. x.

In Villanovana domo Carmelitana cum monialem quampiam Christus sæpius de nocte videret, verita Priorissa, ne illusio esset, illam dormire jussit, et non dare audientiam apparitioni, quod cum fecisset illa, et apud Christum redeuntem se excusans

dormire cœpisset, eundem juxta caput reperit, et hæc dicentem audivit: Quia obedisti, te custodivi, et dispares consolatione plenam reliquit. *LYRÆUS*, l. I, *Apop.*, II.

S. Dorotheus de seipso fassus est, obedientia factum esse, ut in tanta quiete viveret, ut plerumque pœniteret ipsum tantæ tranquillitatis; quousque hac sua tentatione Patri spirituali exposita, intellexit, hunc proprium obedientiæ fructum esse. *S. DOROT.*, *Doct.*, v.

B. Ægydius cum data ei a S. Francisco facultas esset, locum, quem vellet, eligendi, post tres dies ad antiquum locum rediens enixe S. Patrem rogavit, ut sibi et locum, et occupationem præscriberet, alias enim quiete se vivere non posse. *JAC. ALV.*, t. II, l. V, p. III, c. XIII.

Conversus quidam de Fratribus Claravallis innocentis vitæ, et conversationis honestæ, cum graviter aliquandiu ægrotasset, tandem ad extrema devenit. Intravit ad eum gratia visitationis Beatus Bernardus, et confortans eum, ait: « Confide fili, quia migraturus es jam nunc de morte ad vitam, de labore temporali ad requiem æternam. » Ille vero cum ingenti fiducia respondit: « Quidni pergam ad Dominum, et Creatorem meum? vere confido, et quantum de misericordia Domini mei Jesu Christi presumere audeo, certus sum, quia cito visurus sum bona Domini in terra viventium. » Porro Beatus Bernardus, ut erat medicus sapiens, pastorque sollicitus, timens homini rusticano, ne tam fida responsio de presumptionis magis temeritate, quam conscientie puritate procederet, ait: « Signa cor tuum, frater, signa cor tuum, quid est, quod locutus es? Unde tibi supere potuit tanta presumptionis audacia? Enim vero tu es ille pauperulus, et miserabilis homo, qui cum nihil, aut prope nil haberes in saculo, necessitate forsitan magis, quam timore Dei cogente, ad nos confugisti, multis precibus tandem aditum impetrando. Nos vero causa Dei collegimus inopem, et parum te fecimus victi, atque vestitu, cæterisque communitatibus his, qui nobiscum sunt sapientibus, atque nobilibus viris, et factus es quasi unus ex illis. Quid igitur tribuisti Domino pro omnibus istis? et ecce non sufficit ingratitude tue, gratis accepisse tot beneficia de manu Domini, nisi, et regnum ipsius hæreditario vindices tibi. » Ad hæc ille respondens blando vultu, et tranquillo

animo dixit: « Bene, Pater charissime, bene utique perorasti, et vera sunt omnia, quæ dixisti, verumtamen si jubes, loquar ad te dominum, et Patrem meum, et paucis aperiam, unde mihi pauperi, et misero suggeri potuit tantæ non presumptionis, sed (ut ego spero) devotionis occasio, si tamen vera est illa prædicatio vestra, quam nobis sæpius inculcastis, qua scilicet Regnum Dei, non carnis nobilitate, non terrenis divitiis possidetur, sed sola obedientia virtute acquiritur. Hanc, inquam, sententiam, tanquam verbum abbreviatum a Domino, sædula commemoratio apud me continui, ponens illud quasi signaculum supra cor meum, assidue meditando, et super brachium meum, sollicite operando. Quærite, si placet ob omnibus magistris, et sociis, quibus me obsequi, ac servire jussistis, si cuiquam illorum aliquando inobediens fui, si de fratribus nostris quempiam verbo, aut signo, vel alio quolibet modo, quantum in me fuit, contristavi. Quia si operam dedi omnibus in Christo obedire, omnibus servire, cunctosque per Dei gratiam diligere, quis prohibere me potest, ut de misericordia ejus non confidam? » Beatus itaque Pater cum tale responsum ab homine rusticano accepisset, gavisus est gaudio magno, et ait: « Vere beatus es, charissime fili, quia caro, et sanguis non revelavit tibi sapientiam hanc, sed Pater cœlestis ipse te docuit, ipse posuit animam tuam ad vitam, rectissimoque tramite perduxit ad patriam. Jam ergo securus egredere, quoniam patefacta est tibi janua vitæ. » Defuncto itaque fratre, et exequiis celebratis, venerabilis Pater de conversatione, et consummatione ejus sermonem in Capitulo luculentum sua illa devotione, et facundia peroravit, omnesque illius exemplo, ad amorem obedientiæ mirabiliter accendit; vehementer namque affectus fuit in responsione illius, et magis congratulabatur ei super obedientiæ virtute, et super ipsius animæ puritate, quam si vidisset eum signis, et prodigiis coruscantem. *Spec.*, *ex.*, *dist.*, III, ex. 39.

DIGNITAS. — Cæsarius Heisterbacensis refert, quod, cum prædicator quidam peccatoribus penam, comminatus fuisset inferni, lasciva quædam mulier in oratorio compuncta sermonem prædicatoris interrupit, interrogando, quoniam modo concubina prædicatorum penas evasura essent infernales? Cui prædicator sive delicti exagge-

ranti causa, sive quia interius ad hoc motus fuisset, respondit: Delictum hoc alio modo dilui non posse, quam ut ejusmodi concubinae cibam ingrederentur ardentem. Hæc igitur ad litteram obedire volens, quia talis concubinatibus se ream agnoscebat, ut de vitæ æternæ securitate sibi prospiceret, die quadam expectavit, quo fornax accendebatur, cumque omnes domestici egressi fuissent, ipsa fornacem ingressa ibidem mortua fuit. Deus autem insinuare volens, quam sibi accepta fuisset obedientia illa, in ipsa hora, ut præfatus Auctor scribit, effectit, ut circa domum fuerant, contemplati sint columbam candidissimam de ore fornacis exire, et cum multa claritate cœli secreta penetrare. Stupefacti de visione, effractions foribus ingressi, feminam semiustam extrahentes, ad verbum prædicti Sacerdotis, tanquam proprii corporis interfecit, in campo sepelierunt. Ut autem Deus ostenderet, mortem tam simpliciter illatam non fuisse ex malitia, sed ex obedientia, noctibus candelis ardentibus multis tumulum ejus illustravit. *CÆSAR.*, l. VI, c. xxxv.

Quidam sæcularis renuntiavit sæculo, ut venit in monasterium, adducens secum filium suum parvulum, quem Abbas tenens infantulum osculabatur, et dixit patri ejus: « Amas hunc? » et ille respondit: « etiam. » Et iterum dixit illi: « Diligis me? » et respondit: « etiam. » Post dixit illi Abbas: « Tolle ergo, si amas eum et mitte illum in furnum ardentem, » et tenens eum pater suus jactavit in fornacem ardentem, et statim facta est fornax velut ros, ipseque filium illasum recepit. Ex quo facto acquisivi sibi gloriam in tempore illo, quemadmodum Abraham Patriarcha. *SMARAG. ABDAS*, c. XIII, *de Heb.*

S. Joannes Climacus historiam quamdam memorabilem in hæc verba recenset: Joannes Sabaites vir mihi in paucis charus, res mihi auditu dignissimas retulit. Hic mihi sic narrationem exorsus est: « Erat, inquit, in eo Asiæ cœnobio, in quo degebam (inde enim vir hic sanctus venerat) e semibus quidam Religiosus admodum solutus, et male sane moratus, testor hoc veri causa, non hominis judicandi. Nactus hic erat discipulum, nescio quando, admodum juvenem, cui nomen Acacius, ingenio simplici, sed animo cætera minime imprudenti. Hic ab illo terreo silicernio tanta, ac tam indigna

sæpe tulit, ut multis fortasse res supra fidem videri possit. Quippe qui non convitiis tantum, ei contumeliis illum exagitavit, sed quotidie verberibus, et plagis male mulcavit, et Acacius omnia prudenter, et patienter perfererat. Hunc ego cum in singulos dies, velut emptitium mancipium, pessime tractari cernerem, sepe numero occurrentem allocutus: Quid est, inquam, frater Acaci, quomodo habes hodie? tunc ille mihi mox nunc liventes oculos, nunc læsum collum, nunc caput plagis contusum ostendit. Atego, quod germanum patientiæ alumnus scirem, bene se res habet, bene habet, inquam; sustine, fructum patientiæ feres. Hoc pacto cum novennium totum apud immitem illum senem Acacius egressus, ad cœlum profectus est. Post quintum inde diem, magister ille sævus Acacii mortui abiit ad quemdam et senioribus magni nominis virum, quem affatus: Pater, inquit, frater Acacius mortuus est. At senior hoc audit, crede mihi, inquit, Pater, non credo mortuum. Tum magister Acacii, veni, inquit, et vide. Ubi ad sepulchrum constitit, exclamat Pater, et velut viventem (nam vere in quiete sanctorum vivebat) compellans: «frater Acaci, inquit, es mortuus?» Hic ille præclarus obedientiæ filius, etiam a morte spicimen obedientiæ præbaturus: «Quomodo, inquit, mi Pater, fieri potest, ut vetus obedientiæ alumnus moriatur?» CLEMAC., *Grad.* IV, n. 8.

Devotissima Francisca a Jesu Ordinis Minorum Joannis Borgiæ soror, virginitati nuptias, et Christianæ paupertati Principum auleas posthabuit, brevi tantum profecit, ut virginibus sodalibus moderaretur. Manebat inter virgines Francisca mater, anus grandæva, exæquato viduitatis labore, tam facili ad omnem religiosi moris legem consuetudine, ut in illa ætate, filiæ obtemperaret, ac pro miraculo haberetur. Optaverat aliquando pridie, quam communicaret, divinæ Eucharistiæ vigilem ante aram noctem agere, idque sibi a filia indulgeri volebat, quod Angelos adesse diceret vigilantibus. Cui Francisca: «Abi, inquit, domina mater, nam quod ad Angelos pertinet, assistunt etiam ex obedientia dormientibus.» RHO., *Hist. virt.*, l. IV, c. VI, n. 4.

Christus propter obedientiam accepit nomen super omne nomen, ut in nomine ejus genuflectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum. PHILIP., II.

B. Virgo unica illa obedientia per verbum «fiat» expressa, plus merita est, quam omnes Sancti suis actibus, teste S. Bernardino: Elevata quippe est, ut ipse ait, ad infinitam perfectionem, et gratiarum, ad imperscrutabilem abyssum charismatum Spiritus sancti. S. BERN., s. xv, de *Festiv. B. Virg.*

Cum aliquando quatuor fratres de Scythi ad Abbatem Pambonem venissent, et unusquisque virtutem alterius explicaret; nimirum quod unus jejunaret multum, alter nihil possideret, tertius plurimam charitatem haberet, quartus vero viginti duobus annis in obedientia vixisset, dixit Abbas Pambo: «Dico vobis, quia istius virtus major est, quam reliquorum, quia unusquisque horum virtutem, quam possidet, voluntate propria refinit; hic autem voluntatem suam abscondens, alienæ se voluntatis servum fecit.» *Vit. PP.* l. XV, de *Ob.*

Quidam Patrum narravit, se vidisse quatuor ordines in cœlo, infirmorum, hospitalitatem Sectantium, Eremitarum, Obedientium, hos vero torque, et corona aurea fuisse exornatos. *Is.*, l. XIV, n. XIX.

EXEMPLA DOMESTICA.

QUALITAS. — S. Ignatius quanti fecerit obedientiam primario ex ejus epistola colligi potest. Item cum Patrem quemdam insignem, sed in rebus agendis suæ sententiæ tenaciorem post, multa media frustra adhibita e Societate eiecit, advocatoque ad se P. Joanne Philippo Viro Socio Secretarii, ades, dixit, excipe: testatum volo Societati, quid de obedientia sentiam, simulque undecim dictavit capita, quæ P. Ribadeneira testamentum S. Ignatii appellabat, et ab eo l. c. referuntur. Dicere quoque solebat, eos, qui in obediendo voluntatem tantum, et non iudicium pariter cum superioris iudicio conformarent, altero tantum pede in Religione esse, et plerumque in magna incommoda incidere, ac gravissimis perturbati conscientiæ stimulis ac molestiis implicari. MAFF., l. III, c. VII. Hinc cum P. Jacobo Lostio in Siciliam abeundi mandasset, ut singulis oetiduis ad se scriberet, et ille diligenter singulis oetiduis id præstitisset, sæpius scribens hoc ipsum, quod nihil scriptu dignum illa hebdomade contigisset, legens tales litteras affirmabat confessionem

illam longe gratiorem sibi fuisse, quam si multa, et præclara gessisset. *Hist. Soc.*, p. I, l. VIII, n. 27.

S. Franciscus Xaverius tam erat obedientiæ studiosus, ut vix indicata S. Ignatii voluntate, qua volebat, ut Indiam peteret, mox omnes difficultates, et discrimina contemnens ad iter se pararet, nec minori alacritate susciperet. *Vit.* l. II, c. VIII. S. Ignatium velut Superiorem suum adeo aestimabat, et venerabatur, ut nomen illius a litteris præcisum in reliquiaria theca inclusum collo circumferret. Sed et ipse S. Ignatius adeo ejus obedientiæ confidebat, ut litteris, quibus eum ex India Romam revocabat, solum litteram I in calce adscriperit, non dubitans, quin ea sufficeret, ad iter illud pari velocitate, et alacritate, qua ingressus Indiam fuerat, suscipiendum. Episcopos eorumque Vicarios adeo venerabatur, et tam perferre obediēte, ut nihil sine eorum auctoritate tentare præsumeret. *Is.*, l. VI, c. VIII.

S. Franciscus Borgia Superiores usque eo vereri solebat, ut, licet jam eo munere defuncti essent, eadem, qua antea, reverentia coleret. Non tantum S. Ignatii jussa ad unguem expediebat, sed etiam fratri coadjutori Michaeli Marco, quæ comes a S. Ignatio additus fuerat, in iis, quæ valetudinem concernebat, exactissime obediēte. In Oegnatensi secessu lapides, calcem, et ligna ad aedes construendas portare jussus, tam libenter, et expedite paruit, ac si Angeli vocem audivisset. *Vit.*, l. IV, c. III.

B. Aloysius nullum unquam vel levissimum imperium præterivit. Mandata Superiorum non aliter, ac si ab ipso Christo data essent, accipiebat. Erga manu ductoris socium tantam reverentiam, et observantiam exhibebat, ut ipsum P. Generalem majore colere vix posset. Jussus a meditando abstinere, Deo interius consolationes, et illustrationes multiplicanti dicebat: «Recede, Domine, a me ut obedire possim. «Si ab aliis ob Superiorum mandata vexaretur, id unum respondebat: «Quid vis, faciam tibi? Prophætæ dictum est: Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.» *Vita.*

P. Petrus Faber ad nutum parebat S. Ignatio, licet sciret, ex suo ad locum imperatum discessu spem fructus, ut valetudinem primum recuperatam læsum iri; neque enim nos, aiebat, voto obstringi, ut ad sa-

lutem multos arbitrato nostro vocemus, sed ut filii simus obedientes. Unde licet sciret, pro se retinendo scribere Principes, Respublicas, Proceres, etc., tamen ad nutum S. Ignatii abibat. Volebat subditos non considerare mala in Superioribus, sed sola bona, ut sic eos ex animo possent honorare. Imo si viderent, Superiores longe a virtute abesse, eo acrius ipsis enitendum esse, ut ipsi se divini amoris, timorisque respectu, in statu suo persisterent diligentia, fidelitate, alacritate obsequi; nam ita demum ubi se gratos ipsi Deo efficerent, dignos per obedientiam fore, quibus etiam boni Præsides concederentur. *Vita.* l. II, c. xxvii.

P. Joannes Nuncius Barretus, ex morbo ad mortem decumbens aiebat, se, modo S. Ignatius annueret, nequaquam recusaturo, ita animam agentem, ac vel postridie expiaturum, in navim inferri, cum tamen ita alogui a mari abhorreret, ut tritum illud: At tu, sæve Aquilo, nunquam mea vela videbis: identidem sibi occurreret. *Hist. soc.*, p. I, l. XIV, n. 116.

Emmanuel Alvarius Conimbricæ 1546, jussu scribere, affectum suum ad gradum in Societate, nihil, aiebat, mihi melius est, majusque feliciter, quam obedientiam parentem felicitatis. Antonius vero Quadrius paratissimus, aiebat, sum, summis, et infimis de hac Societate Dei mei, et Domini Jesu Christi inservire. Id unum cupio, nihil ut mihi unquam mandent, vel mandare omittant, vel concedant, quo mihi indulgeant, sed me severe ac libere ad suam voluntatem regant. *Isid.*, l. VI, n. 97.

Quidam Pater dicebat, homines Societatis esse debere, sicut materia prima, patientes scilicet se e Superiore quavis forma informari. INGOLST., c. xiii, § 47.

P. Valentinus Carvalus cum duodecim jam annis eximia cum laude superiores scholas docuisset, et theses doctissimas pro defensione imprimi curasset, vocatus repente ad navim, ut in Japoniam navigaret, relictiis omnibus, nec verbo addito itineri se commisit. *Annal. Lusit.*, an. 1595.

Joannes Berchman censebat, in rebus minimis studio mazimo obediri debere, quo intelligenter Superiores, quanto in pretio mandata sua haberentur. Si Ignatium eo etiam nomine magis diligebat, quod tam præstantem de obedientia epistolam scripsisset. Semel in summo æstu ter quaterque uno die foras ex obedientia egressus cum a